



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Davidis Regii Prophetae Psalterium

Moritz <Hessen, Landgraf>

Smalcaldiae, 1593

VD16 B 3258

Psalmvs XXXVI. Dixit iniustus, vt delinquat &c.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-68864](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-68864)

PSALMVS XXXVI.

Dixit iniustus, vt delinquat &c.

Sic in corde meo describitur impia vita:

Tota Dei quod inops sitq; timoris egens.
Ipsa sibi frustra blanditur hypocrisis, ornans
Prætextu vano pessima consilia.

Se donec prodat mendax doctrina nocensq;
Et dolus is, qui odio verba monentis habet.

Tempore noctis enim meditantur pessima quæq;
Et sine fraude illis non abit vlla dies.

At toto Domini bonitas ita in æthere fulget,
Illius vt superet nubila & astra fides.

Instar vt excelsi montis stet iusta voluntas,
Iudicia Oceano sintq; profunda magis.

Quanta tua laus est bonitatis? fida sub alis
Quod fouet hæc homines & tegit ipsa suis:
Quod saturatq; tui impletos pinguedine templi,
Quod fluuii potat deliciisq; tui.

Tu fons es vita, Deus, & scaturigo bonorum,
Perq; tuum lumen lumina nostra vident.

Pectore sincero, qui te coluere, salutem his
Quiq; colunt, confer iusticiamq; tuam.

Ne si

*Ne sine conculcet me pes impunè superbus, —
Nec sine me reprobi supprimat atra manus.
Quin cadat is potius sic, ut non surgere possit,
Ad damnata, Deus, tartara trude malos.*

PSALMVS XXXVII.

Noli æmulari in malignantibus, &c.

Q*ui Dominum metuens huic firmo pectore fi
Impia non vrat te moueatq; cohors. (dis,
Nam velut herba virens subito succiditur ictu,
Sic cito marcescens turba ea tota perit.
Expecta Dominum iusti sectator & equi,
Nutriat in patria te tua dextra manus.
In Domino oblectare, feres, quacunq; rogâris,
Is dabit & cordi gaudia plena tuo.
Crede tuam Dominoq; viam committe regendâ,
Nitere eo: faciet, quod petis, ipse ratum.
Iusticiam ille tuam in lucem producet, & ipso
Sole tua esse sinet splendida iura magis.
Subditus esto Deo, fortunam vince precando,
Prosperitate hominis ne moueare mali.
Ira furor breuis est, ira atq; resiste furori,
Succensens sceleri, ne mala forsan agas.*

Qui